

in interventu producit. Sic homo est causa proxima hominis, equus equi &c.

III. In *Principale & instrumentale*. *Principale* est, quod corporis naturalis productionem per se intendit, nec ad producendum illud ulli alii causæ inservit. Sic parentes sunt principalis causa filii, equus generans equi genti &c. *Instrumentale* est, quod corporis naturalis productionem per se non intendit & ad producendum illud principali inservit. Sic Spiritus & calor sunt instrumentum generanti ad productionem geniti inservientia.

IV. In *Totale seu solitarium, & Partiale seu Socium*. *Totale seu solitarium* est, quod solum sufficiens est ad corpus naturale producendum, nec alterius similis operam requirit. Sic DEUS ut causa solitaria in principio creavit cælum & terram, sic & causæ solitariae sunt plantæ, cum generant, aurum cum se multiplicat, venenum cum sibi simili gignit. *Partiale & socium* est, quod solum sufficiens non est ad corpus naturale producendum, sed alterius similis operam & concursum requirit. Sic causæ sociæ producendi hominis sunt mas & foemina, equi equus & equi, asini asinus & asina, galli gallus & gallici &c.

V. In *Per se & per accidens*. *Per se* est, quod ex intentione corpus naturale producit. Sic homo generans hominem perfectum causa per se est, quia effectum illum intendit. *Per accidens* est, quod incidenter & sine intentione corpus naturale producit. Sic homo generans hominem monstrosam causa per accidens monstri istius est, quia illud non datâ operâ, sed incidenter producit. FINIS dividitur in *Universalem & Particularem*. *Universalis* est, vel absolutè talis, cujus gratiâ totum mundi Systema à DEO creatum, hucusq; conservatum & porro conservandum est. Talis est gloria DEI, omnia enim propter unum illud ens sunt, quod non est propter aliud præter se; vel respectivè talis, cujus usui totus mundus cum omnibus suis partibus inservit, Talis est homo mundi Epitome, & naturæ delitiæ. *Particularis* est, ad quem tanquam bonum suum res quævis in suo genere è naturæ præscripto tendit. Sic finis hominis est sapere, Solis lucere &c.

§. I. Cir-